



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis Universa**

Ad Mentem Præcipuorum Theologorum & Canonistarum, insertis suo loco  
Propositionibus à S. Sede Apostolica novissimè damnatis concinnata. Et  
Per Casus Practicos exposita

Complectens LXXV. Casus Materiam de Conscientia, Legibus, Peccatis,  
Fide, Spe, Charitate, Jure, Justitia, Restitutione, Contractibus, Judiciis &  
Religione &c.

**Jansen, Leonhard**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Casus XXXI. De furtis filiorum, servorum, &c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39867**

nio uxoris, ideóque & huic perit, secus, si res dotalis fuerit mensurata v. g. 50. plaustra vini, aut domus certo pretio taxata, tunc enim dominium & periculum rei etiam casuale ex dispositione legum transit ad maritum.

## CASUS XXXI.

De furtis filiorum, seruatorum, &c.

**J**abin filius-familias dubitat, 1. *Qualiter disponere possit de bonis castrensibus, quasi castrensibus, adventitiis, profectitiis.* 2. *An & qualiter surripiens aliquid de bonis paternis teneatur restituere, & quid si fratres etiam sint furati, vel pater credatur remissurus, si rogaretur, vel restitutionem non petat.* 3. *Qua hic sit materia grauis.* 4. *An filio laboranti pro patre debeatur salarium, & si non detur, occultè compensare possit.* 5. *Quid si serui pecunias, esculenta, &c. surripiant, aliis donent.* 6. *Labori se subtrahant, agros, vel seruitium deserant.* 7. *Fragmenta rei elaboranda retineant.* 8. *Aut aliquid ex pretio rerum pro Domino emptarum, sub prae-textu, quòd mercatores remiserint.* 9. *Vel expensas fecerint?* Pro resolut.

- I.** QUÆR. I. Quid circa filios-familias eorundem que bona? *¶ I. Filius-familias dicitur, qui est constitutus sub patria potestate; patria potestas est jus à legibus introductum, quod pater vel unus ex ejus ascendentibus habet in filium, vel procreatione, vel saltem rescripto Principis legitimum, & in certa ejus bona; siue filius sit naturalis, siue adoptivus in quacunque ætate, donec*

donec emancipetur : emancipatio olim fiebat multipliciter , modò censetur filius emancipari per hoc , quòd uxorem ducat , & seorsim habitet.

3. II. Bona , quæ filius habere potest , sunt quadruplicia. 1. *Castrensia* , quæ filius in castris , sive ex testamento , donatione aut legato à commilitonibus factò , sive ex peculio castrensi , aut etiam ex famulatu regis acquirit.

2. *Quasi castrensia* , quæ quidem in castris non acquiruntur , sed in jure habentur quasi castrensia , qualia sunt , quæ filius acquirit ex officio publico Judicis , Doctoris , Advocati , Syndici , Medici , Prætoris , ex Clericatu , donatione Regis , propria parsimonia , &c. horum bonorum uti & præcedentium filius-familias , si pubes sit , plenum habet dominium & administrationem ; ideòque de his pater filio invito disponere non potest , secùs , si non sit pubes.

3. Bona *adventitia* , quæ filio adveniunt per artes mechanicas , fortunâ , donatione , hæreditate vel legato ex linea materna : horum dominium directum est penes filium , dominium utile penes patrem ; si tamen res sit usu consumptibilis , ut pecunia , frumentum , &c. tenebitur pater ad restitutionem , si eis utatur , quia filius erat eorum Dominus proprietarius.

4. Bona *profectitia* sunt , quæ filius accipit à patre vel intuitu patris , horum dominium & ususfructus est penes patrem , nisi fortè pater dederit filio aliquid in patrimonium , vel ad suscipiendos S. Ordines.

QUÆR. II. Quid circa furta filiorum-familias ? R. seqq. 1. Peccat filius , si patre invito aliquid surripiat ex bonis , quæ sunt sub patris

dominio vel administratione , ut certum est ex illo Proverb. 28. *Qui subtrahit aliquid à patre suo, & à matre, & dicit, hoc non esse peccatum: particeps homicida est*; teneturque restituere ipsam rem ablatam, si adhuc existat, vel æquivalens ex bonis castrensibus, vel quasi castrensibus, si habeat, vel si non habeat, deducere in divisionem hæreditatis cum fratribus, nisi fortè & hi similiter sint furati, aut hi, aut pater remittat, vel certò credatur remissurus, si rogaretur, quem præ verecundia rogare non audet. *Nav. Less. dub. 13. n. 7. Dicast. n. 184.* aut si pater aut fratres sciant, nec satisfactionem petant, censentur condonare. *Burghab. cent. 2. Cas. 36.*

3. 2. Pro materia necessaria ad mortale filii respectu patris valdè divitis & benefici ab aliquibus non improbabiler statuuntur 20. vel 30. aurei, si filius sit unicus, & non impendat ad usus illicitos, & tales, in quibus pater omninò scitur esse invitus: respectu patris mediocriter divitis 3. vel 4. aurei, ab aliis plùs, ab aliis minùs, tu prudens Confessarie id non tantùm ex re accepta, sed & ex facultatibus patris, ejus liberalitate & affectu in filium, ex liberorum pluralitate, ex accipientis ætate & usu judica, ita, ut conscientiam non nimiùm laxes, nec temerè scrupulum peccati mortalis injicias.

4. 3. Quamvis possit pater filio in domo paterna laboranti laborem suum specialiter compensare absque hoc, quòd aliis filiis faciat injuriam, ad hoc tamen non tenetur ex justitia. *Sylv. V. Peculium 1. qu. 12. P. Navarr. L. 3. c. 1. n. 76. Moya. t. 6. d. 4. n. 41. Laym. & alii apud ipsos contra Barth. Less. Lopez. Dicast. n.*

127. Ratio est, tum quia opera industrialis filii ex jure & consuetudine debetur patri, tum quia filius à patre habet victum, amictum, instructionem & curam paternam, neque pater se filio obligavit ex contractu, sicut servo conductitio, ergo non est, unde oriatur obligatio justitiæ, multò minùs poterit filius ejusmodi laborem sibi occultè compensare, occulta enim compensatio locum non habet, nisi quando debitum est certum, hïc autem ad summum est probabile.

QUÆR. V. Quid circa furta famulorum, opificum, &c. ? R. Seqq. 1. Certum est & hos, si invito Domino aliquid notabile furentur, peccare mortaliter cum obligatione restituendi, vel si non habeant, saltem per extraordinariam diligentiam, laborem & obsequia compensandi; respectu tamen famulorum etiam aliquantò major quantitas requiritur, quàm respectu extraneorum æstimanda secundùm opulentiam & liberalitatem Domini ac circumstantias *Cas. prac. nu. 1. insinuat.*

2. Multorum est sententia, minuta domesticorum furta in alimentis non coalescere in materiam gravem, eò quòd Domini tantùm videantur inviti quoad modum, si domestici ea consumant; si autem extraneis donent vel vendant, certum est etiam invitos esse quoad materiam, quod semper videtur dicendum, si materia tandem fieret notabilis etiam in esculentis, præsertim pretiosioribus & extraordinariis, etiamsi ipsimet domestici ea absument, quis enim credat Dominum non esse invitum quoad substantiam, si servus multa pretiosa electuaria aut etiam mediam vel integram melioris vini amam intra annum absumeret?

X §

. 3. Ser-

6. 3. Servi sæpiùs partem temporis labori debito subtrahentes furtum, & quidem mortale committunt, quamprimum per ejusmodi negligentiam damnum grave Domino illatum fuerit; an verò famuli, qui ante tempus servitium deserunt, vel ex eo dimittuntur, amittant integrum salariam, & qualiter tempus absentia vel ægritudinis iis subtrahi possit, dicam *Cas. 57. num. 15.* Item, an operam suam pluribus elocare possint, *ibid. n. 14.*
7. 4. Famuli, opifices, sartores, textores, molitores, aurifices, surripientes fragmenta & reliquias materiae sibi ad elaborandum tradita peccant, prout supra dictum est de furtis minutis factis eidem vel diversis, nisi forsan fragmenta sint tam exigua, ut Domini non censeantur ea curare, vel tacite remittere, eò quòd non repetant, cùm facile possint.
8. 5. Si mercator sartori vel famulo pro hero aliquid ementi partem pretii remittat, vel aliquid donet, ut potiùs à se, quàm ab alio emat, possunt id, per se loquendo, retinere, si tamen alibi idem minori pretio habere possint, Domino injuriam faciunt, idem est, si rigidiùs mercando aliquid de communi pretio subtrahant, & sibi retineant; Ratio est; quia non suo, sed nomine committentis emunt, ergo pars de pretio subtracta non ipsis, sed committenti debetur.
9. 6. Si tibi, amico vel famulo committatur, ut alteri frumentum pretio indeterminato vel determinatè tribus aureis emas, tu autem industrius emas duobus & medio, non potes medium aureum tibi retinere, quia liberè hanc industriam posuisti, si tamen expensas fecisti, ut  
mino-

minoris emereres, v. g. ivisti ad remotiorem urbem, poteris has expensas compensare, saltem ex præsumpto Domini consensu, quia hæ expensæ ei fuerunt utiles, *V. Cas. 41. n. 24.*

## CASUS XXXII.

## De Causis à furto excusantibus.

**M**Abbo varia aufert. 1. *Sub prætextu necessitatis gravis, vel quasi extrema.* 2. *Non obstante, quod Dominus rei sit in necessitate simili.* 3. *Aut res sit valde pretiosa,* 4. *Eam habere potuerit labore, emptione, mutuo vel humili petitione.* 5. *Et habeat alibi in re vel in spe.* 6. *In extrema necessitate consumit res sibi commodatas, depositas, mutuatas.* 7. *Excusat se titulo occultæ compensationis.* 8. *Quia alias cogetur famulos dimittere, vel ipse famulari.* 9. *Quia aliter liberari non potest à pœna carceris, vel capitæ.* 10. *Quia non recepit dignum labori suo stipendium.* 11. *A suo debitore mutuum accipit animo compensandi, etsi juratò promiserit mutuum reddere.* Pro resol.

QUÆR. I. Quæ causæ excusent à furto? **R.** 1. Excusat necessitas *extrema*, quando scilicet est certum periculum amittendæ vitæ vel membri principalis, morbi incurabilis, extremæ infamiæ, vel timetur malum mortis æquivalens; non tamen excusat necessitas *gravis*, quâ non extremum, sed grave malum in corpore, fama, vel fortuna timetur, ut jam certum est ex Prop. 36. ab Innocentio XI. damnata: *Permissum est furari non solum in extrema*  
necef-